

reddi possunt non immeritò dicuntur unum ex alio colligere. Propriissimè Rationale id dicitur, quod præditum est facultate intelligendi aut deliberandi, quo sensu Aristoteles λογίζεσθαι καὶ βελεύεσθαι h. e. ratiocinari & consultare idem semper vocavit; hoc modo acceptum vocabulum Rationale à Brutis exulat. Si ergò brevibus dicendum quòd res est Ratio planè Brutis est deneganda ob rationes jam adjiciendas. Nam præter ductum Scripturæ (conf. Pl. 32. v. 9.) qui sequendus est in omnibus, deprehendimus omnem Ratiocinationem cum reflexione esse conjunctam. Conferenda hic sunt antecedentia cum consequentibus, ponderandæ sunt rationes quibus assertum aliquod adstruitur, dispiciendum utrum sint sufficientes & rem adæquate exhauriant, utrum verò vel contradictionem pariant, vel contrariæ potius sententiæ inferviant? quæ singula Brutis haud convenire poterunt. Præterea non cognoscunt Universalia hæ animantes, quod à perfecto Ratiocinio exactè requiritur. Hominem Rationis verè participem ponamus nobis ob oculos. Hic quod intelligit, universaliter intelligit utens λογισμῶν duabus propositionibus constante. In primâ Intellectûs operem per experientiam inducit, quæritque utrum perpetua his omnibus insit veritas: In secunda ad singularia progreditur ac sensûs ope rem sic sese habere deprehendit. Contrà vero Bruta cum neque affirmant neque negent, ac propriè neque veritatem neque falsitatem percipiant, quis Rationem illis adscribere auderet? Addo quod nec Experientia Brutis competat, quæ multum in ratiocinatione conducit. Dehinc discimus ex Philosophorum Scholis quod solo instinctu, seu naturæ quodam impetu Bruta omnia peragant. Ut enim homo metu subitaneo percussus multa sæpè præter deliberationem molitur, quæ ad sui conservationem spectare videntur, dum ad auditum fragorem caput deprimat, aut lapsus

lapsus